



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1719**

Titulus XIV. De Precariis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

# TITULUS XIV.

## De Precariis.

*Quest. 200. Quotupliciter hoc nomen in Jure usurpetur, & quid importet?*

**R** Esp. ad primum: Dupliciter primò pro re precariò concessa, non secus, ac commodatum, depositum, mutuuum pro re accommodata, deposita mutuo data, oppignorata &c. Secundo pro ipso actu, quo res illa conceditur. Utroque modo acceptum exprimitur in jure tripliciter; videlicet in genere neutro *precarium*, in genere feminino, vel in singulari *precaria*, vel in plurali *precariae*. Sumpta in feminino, ut Gloss. in c. ult. h. t. Abb. in c. 1. eod. num. 3. Barbof. ad princ. h. t. num. 3. & AA. communiter. contra Holt. in sum. h. t. in princ. non differunt inter se, differunt tamen à precario sumpto in neutro genere, ut patebit ex sequentibus. Sumi quoque precarium, sed valde improprie ait Muller. loc. post citand. lit. a. pro omni contractu, dum nimirum aliquid ad preces alterius conceditur, ut in mutuo, commodato, locato aliisque preces plerumque adhiberi solent.

**2.** Resp. ad secundum: Precarium sumptum proprie pro speciali & distincto ab aliis contractibus, contractu, primò quidem pro materia substrata huic contractui, seu pro re ipsa precario concessa, bene definitur: quod precibus petenti ad utendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit, patitur, id est, non revocat. c. 3. h. t. l. 1. ff. h. t. Dicitur primò: quod, seu res, comprehendendo nimirum res omnes, quæ in patrimonio nostro esse possunt. Muller. ad *Servv.* in ff. h. t. ib. 156. lit. C. Adeoque tam res immobiles quam mobiles. Pirh. h. t. num. 10. Tam corporales quam incorporales. Lauterb. ad ff. h. t. §. 10. Et sic precariò concedi possunt jura, v. g. jus venandi, & servitutes, v. g. iter & actus per fundum alterius. l. 2. §. fin. l. 4. ff. h. t. Pirh. Muller. loc. cit. quamvis Muller. loc. cit. dicat excipi solere servitutem oneris ferendi, tigni immittendi alius tollendi & similes. Quin & regnum concedi posse precariò ait Muller. teste Hug. Grot. de jur. bell. & pac. l. 1. c. 3. §. 11. item feudum. Muller. citans Carpzov. &c. Item res propria rogantis respectu possessionis. Pirh. Muller. LL. cit. Lauterbach. ad ff. h. t. §. 8. juxta *L. si debitor.* ff. h. t. nimirum dum debitor rogat à creditore pignus ei datum, cujus ipse dominium retinet, precariò possidere; cum aliis nemo rem suam precariò habere seu possidere queat. *L. in rebus.* §. *si rem.* ff. h. t. Sic etiam, licet dominus rem suam, quam possidet, cujusque dominium plenum habet, precariò accipere nequeat; ubi tamen plenum ejus dominium non habet, sed tertius quis eam possidet, vel jus quoddam in eo habet, respectu illius potest dominus rem precariò rogare & accipere. Lauterbach. cit. §. 8. Ac ita precariò concedi possunt res omnes, quæ sunt in commercio, & in quibus concedens jus aliquod habet. Lauterbach. §. 10. Quod autem excludat res sacras & religiosas, quia extra commercium sunt, non video, quomodo subsistat; eum nihil ob stare videatur, quò minus calices consecrati, oratoria, cæmeteria, similiaque loca reli-

giosa precariò concedi possint, et si proprie non sint in commercio.

**3.** Dicitur secundò: *precibus petenti*: preces enim intervenire necesse est, & ubi hæ non interveniunt, nullum est precarium. Unde si quis non rogatus alicui quid dederit, non precarium, sed donatio præsumitur, saltem, ubi res tradita non est magnæ quantitatis aut momenti, & tradens dives, recipiens verò pauper; secus, si res sit magni momenti & pretii; tunc enim potius pro precario quam donatione præsumendum. Muller. loc. cit. lit. v.

**4.** Dicitur tertio: ad utendum: per quod excluditur abusus rei precariò concessæ. Muller. lit. d. Multoque magis excluditur usus talis, per quem ea absumitur; cum ea in individuo sit restituenda, adeoque adhuc post usum debeat esse salva. Arg. l. 1. §. 3. ff. h. t. junctâ l. 3. §. fin. ff. commodat. Unde etiam res fragiles & consumptibiles esse non possunt objectum precarii. Lauterbach. cit. §. 10. Porro usus hic in precario non est specificus, sed regulariter datur ad usum indeterminatum. Pirh. h. t. num. 6. Reiffentuel. num. 6. Sive ad omnes usus, intellige; quæ ab usum non continent, qualiter res precariò concessa non censetur ad usum inhonestos. Nihil tamen vetat, quò minus quandoque res ad certum usum petatur & concedatur precariò, citra tamen, quòd ita peti & concedi exigat natura precarii, adeoque id sit veluti per accidens precario, & præter modum ordinatum illud concedendi, unde etiam dixi: *regulariter*. Item regulariter indeterminatus est hic usus quòd ad tempus, seu nullo tempore circumscriptus, sed quamdiu concedens permiserit. c. ult. h. t. Gloss. ibid. v. per conventionem. & Abb. num. 11. & 12. Et quamvis concedi etiam possit ad certum tempus. *L. cum precario.* l. in rebus. §. fin. ff. h. t. potest nihilominus tempore hoc finito petens pergere precariò possidere, nisi à concedente revocetur; eò quòd tunc precarium rursus concessum ac renovatum censetur. cit. *L. in rebus.* §. 4. junctâ gl. v. rursus. Reiffentuel. h. t. num. 7. Wiefner. num. 4. citans Brunnem. in *L. si certo.* ff. h. t. n. 1. item Lauterbach. loc. cit. §. 11. citans Perez. in Cod. h. t. num. 2. & Molinam. Potest quoque concedens tempore illo nondum elapso illud revocare (in quo differt precarium à commodato, ut dicitur paulò post) semper enim intelligitur: quamdiu voluerit intra illud tempus relinquere. Pirh. h. t. num. 6. citans *L. cum precario.* ff. h. t. v. per conventionem. Cum ea sit natura & essentia precarii, semper posse revocari. Adeoque jam tale pactum intra illud tempus expressum non revocandi, utpote contra substantiam precarii irritum est ipso jure, & pro non adjecto habetur. l. 12. ff. h. t. Muller. loc. cit. lit. d. citans Brunnem. ad l. 11. ff. h. t. num. 1. Gail. l. 2. obs. 4. num. 13. &c. Lauterb. cit. §. 11. citans C. de Lugo de 7. & 7. d. 2. n. 16. non vitiat interim, sed subsistente & vim suam retinente substantia precarii, ut iidem; cum precarium sit ipsum principale, & pactum illud sit accessorium; æquius autem sit, ut sustineatur principale, vitiatò accessorio, juxta cit. l. 12. Lauterb. l. c. dicens

dicens idem etiam observari in aliis negotiis, quibus pacta eorum natura contraria adjecta sunt. V. g. Si pignori pactum adjectum de non distrahendo illud. l. 14. ff. de pignor. act. nisi tamen contractus, cui pactum adjectum, ita explicari possit, ut transeat in alium contractum. V. g. si precario adijceretur pactum, de non revocando intra tempus præfixum, in dubio explicari potest, ut valeat pactum, eò quòd concedens voluerit commodare, et si usus fuerit nomine precarii. Pirh. h. t. n. 7. cum Abb. in c. ult. h. t. n. 4. Arg. L. ubi ita. ff. de donat. caus. mort. Requiritur denique, ut usus hic sit gratuitus; cum precarium sit actus mera liberalitatis & beneficii. l. 1. 2. 8. & 14. ff. h. t. Pirh. h. t. n. 5. Wiestn. n. 1. Lauterb. §. 11. Qui tamen addit, quòd, si præter naturam rei scilicet precarii, contingat ex accidente, ut lucellum aliquod seu remuneratio, non quidem ab initio aut tempore rogati precarii, sed finito demum rei usu perfectoque negotio interveniret, naturam negotii aut precarii non destrueret.

5. Dicitur denique: *conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concedit, patitur*: per quæ intelligitur, quòd precarium semper revocari possit pro arbitrio concedentis etiam sine causa, ut dictum; cum pendeat purè ex libera ejus voluntate. l. 1. ff. & c. ult. h. t. Modò tamen non sine urgente necessitate aut rationabili causa confestim & mox à concessione revocetur, & res concessa repetatur, ne aliàs, dum vel sic, cui res concessa, carere cogitur omni usu & commoditate illius, censeatur concessa frustratorie & elusorie (unde & is exceptionem doli opponere potest) & nullatenus speciem beneficii habere, utpote de cuius ratione est, beneficiarium adjuvari, non decipi aut lædi. Arg. L. in commodato. ff. de commod. Covar. var. resol. 3. c. 15. n. 2. Muller. l. c. lit. 8. & AA. communiter. Quanto autem tempore relinquendum, Judicis arbitrio committitur, qui etiam, ubi urgens necessitas sic exigit, restitutionem rei statim faciendam decernere potest. Pirh. n. 5. Wiestn. n. 3. citatis. Abb. in c. fin. h. t. num. 13. Covar. l. c. num. 6. Molin. de just. tr. 2. d. 298. num. 2. ait tamen Lauterb. cit. §. 11. defendi à Brunnem, in l. 12. ff. h. t. n. 5. & Strick. moribus, id est, consuetudine sustineri pactum, ne res precario concessa intra annum revocetur.

6. Resp. tertio: quòd atinet ad definitionem precarii, quatenus ipsum actum concessionis importat, in statuendo genere illius non conveniunt. AA. Dum illi, qui defendunt, precarium esse contractum: ut Pirh. h. t. num. 5. ubi, quòd sit contractus gratuitus, & numeretur inter contractus, qui re perficiuntur. Reiffenstuel. h. t. num. 5. Barbof. ad h. t. in princ. num. 4. Duaren. Tholosan. Wesssenbec. apud Lauterbach. §. 3. docentes esse verum & propriè dictum contractum. Donell. ad L. fin. C. h. t. num. 4. referens precarium ad contractus innominatos. Cujac. 4. obs. 7. ad quasi contractus &c. Idque ea ratione, quòd ad precarium requiritur mutus consensus tam concedentis quam recipientis. Item quia precarium refertur inter contractus l. 23. ff. de Reg. Jur. item quòd per l. 2. §. 2. & l. 17. §. fin. ff. h. t. ex precario oriatur conditio incerti, seu actio præscriptis verbis; ex quocunque autem negotio oritur talis actio, illud verè & propriè sit contractus. Et hi definiunt precarium strictè tale, quòd sit contractus, per quem aliquid utendum conceditur, quamdiu concedens patitur, ut Barbof. loc. cit. Qui verò negant pre-

carium esse contractum, ut Muller. ad Struv. in ff. h. t. ib. 186. lit. 3. ubi: precarium propriè loquendo neque contractum, neque quasi, neque innominatum censemus. Lauterb. h. t. §. 4. Ea ratione, quòd actionem civilem non pariat, etsi, sicut conventiones ex liberalitate & omnia pacta legitime deliberatè inita obligationem & actionem de jure gentium producat; adeoque sit quædam species donationis & ad eam causamque beneficii referatur; & dum dicitur parere actionem præscriptis verbis, hæc non oriatur ex precario per modum causæ efficientis, sed solum occasione illius, quæque solum competat ex æquitate, dum nulla alia locum habet, adeoque ea non sit actio ordinaria contractuum innominatorum, sed extraordinaria & subsidiaria merè, ac proinde ex eo rationem veri contractus habere non possit; cum illa solum conventio, quæ per se & ex natura sua producat actionem, sit propriè contractus; sed ad summum vocabulum *contractus* acceptum latè pro conventionem licita, quæ jure gentium obligationem producat, competat precario, uti hæc deducuntur à Muller. & Lauterbach. LL. cit. hi inquam AA. ad definiendum hoc precarium genus aliud assumere necesse habent, dicendo v. g. cum Lauterbach. §. 3. quòd sit actus liberalitatis, quo precibus petenti res utenda gratis conceditur. Qui rectius loco generis adhiberi actum liberalitatis, quam nomen conventionis, ex eo censet, quòd precarium in sola conventionem constitui nequeat, cum insuper, non secus quam contractus reales, pro sua constitutione & perfectione requirat traditionem rei, nimirum veram vel fictam, quæ sit, ut dicitur per brevem manum, v. g. dum res tradenda jam ex alia causa penes rogantem existit.

*Quest. 201. In quo differat precarium à donatione & commodato?*

1. **R** Esp. ad primum: Quamquam multum affine sit donationi, cujus etiam species quædam dicitur ex eo, quòd sicut donatio mercimonii causam & negociandi formam non habet; cum non fiat, ut donatori aliquid acquiratur sed ut liberalitas exerceatur. l. 1. & 29. ff. de donat. Muller. l. c. lit. n. differt tamen ab ea in sequentibus. Primo, quòd donatio fieri possit citra rogationem, precarium verò essentialiter requirat interpositionem precum secundum dicta. Secundo, quòd donatio ita fiat, ut, qui donat, det, ne recipiat; precarium autem ita concedatur, ut concedens tunc recepturus sit, quando sibi libuerit precarium solvere seu revocare. l. 1. §. 1. & 2. h. t. Siquidem donatio semel traditione perfecta citra ingratitudinem revocari, & donatum repeti nequit. c. ult. de donat. L. ult. C. de revoc. donat. cum per eam transferatur dominium per precarium non transferatur dominium, sed purus usus rei semper revocabilis.

2. Resp. ad secundum: Etsi in pluribus quoque conveniat cum commodatione, dum sicut hæc, ita & hoc sit gratuitum, & neutro transferatur dominium; differt tamen à commodato primò ac præcipuè, quòd ad essentiam seu substantiam hujus duo copulativè requirantur, nempe concedi illud ad certum & specialem usum, & ad tempus præfinitum, vel expressè, ut dum dies apponitur; vel tacitè ut dum ex ipsa concessione colligitur. V. g. dum commodatò datur liber ad describendum illum, intelligitur tempus tantum, quantum ad com-

commodè describendum illum sufficit & exigitur juxta *L. interdum. in princ. L. continuus. §. cum ita. ff. de V. O.* Sed neque ante transactum hoc tempus seu usum finitum commodatum revocare vel repetere, liceat, quorum contrarium, ut patet, ex dictis, est in precario. *Pirh. h. t. num. 6. Barbof. ad h. t. in princ. num. 5. citatis Sylv. v. precarium. n. 1. Bald. & Salicet. in l. 2. ff. commodati. n. 3. Jason. in L. 2. ff. scertum pet. n. 6. Socin. ibid. n. 15. & pluribus aliis.* Unde jam etiam patet, majus esse beneficium precarii quàm commodati, dum commodatarius post præfinitum tempus tenetur rem commodatam restituere domino, et si is eam non repetat; is verò, cui precariò res concessa, potest eam retinere ultra tempus, si quod ei præfixum, donec à domino repetatur juxta dicta paulò ante. Differt secundò, quod qui precario rem accepit, teneatur solùm ex dolo & lata culpa, quæ dolo in jure æquiparatur. *L. quæsitum. §. cum quoque. ff. h. t. L. contractus. ff. de reg. jur.* non tenetur tamen ex culpa levissima vel etiam levi, sicut etiam ex ea tenetur commodatarius. *Abb. inc. precarium. h. t. Pirh. h. t. n. 3. juxta cit. §. eum quoque.* Ex quo etiam desumitur disparitas, nimirum quòd, licet etiam precarium concedatur ex mera liberalitate tantùm in gratiam & favorem accipientis (ratione cujus aliàs tenetur recipiens ad præstandam etiam culpam levissimam. *cit. L. contractus*) quia tamen semper potest revocari, recipiens precariò non tenetur tantam diligentiam adhibere in re accepta custodienda quàm commodatarius, & concedens precariò, cum semper revocare poterat, & revocando impedire illam culpam in custodia rei admittam, sibi illam imputare debeat, dum non revocavit. ita cum *Gl. in cit. §. eum quoque. v. ex liberalitate.* & *Abb. l. c. Azor. p. 3. c. 2. q. 3. Pirh. l. c. Muller. h. t. thes. 159. lit. 2.* Tertio differt, quòd, qui rem commodatò accepit, nec civiliter, nec naturaliter eam possidet; cum utramque possessionem retineat commodans. *L. rei. ff. commod. utpote qui possessionem corporalem seu naturalem retinere potest etiam per alios, quibus rem commodatò dedit. §. possidere. Inst. de interd. dum ii ejus nomine eam possident. cit. §. §. L. quod meo. ff. de acquisit. possess.* is verò, qui precariò accepit, naturaliter eam possideat, remanente solùm possessione civili penes concedentem. *L. qui habet. §. eum qui. ff. h. t. Gl. ibid. v. corpore. §. v. possessione. & Gl. in c. ult. h. t. v. precarium. Azor. l. c. qu. 4. Pirh. h. t. num. 3.* Licet autem possessio hæc non sit civilis, cum non possideat, neque quæ precario rem obtinens, eam possidere animo & opinione domini, & ut suam; revera tamen vi illius possidet. *Lauterb. in ff. h. t. §. 12. citans l. 10. §. 1. l. 4. §. 1. l. 15. §. 4. ff. h. t.* Estque justa, licet à voluntate domini profecta, quo ad usque à domino ea, aut etiam ipsum precarium non revocetur, hac tamen revocatione facta desinat esse justa.

*Quest. 202. An & qualiter dicta possessio transeat ad eum cui conceditur precarium, & quænam competant remedia possessoria?*

**R**esp. ad primum: Tametsi secundum aliquos ea simul cum re precariò concessa absque eo, quòd ulla possessionis mentio facta, aut ea specialiter rogata sit, transeat seu perveniat absolute, ita ut concedens precarium eam non retineat, & corpore in ministerioque illius, cui concessum pre-

carium, rem naturaliter possidere dici non queat. *Lauterb. l. c. §. 14.* Secundum probabiliorem tamen, quam tenet *Gonz. ad c. ult. h. t. Haunold. Tom. 4. de 7. §. 7. n. 770. Wiestn. h. t. n. 7. Lauterb. §. 12.* non transit, nisi specialiter rogata & concessa, ita ut citra tales preces res concedatur sine omni possessione. Unde etiam precarium dividitur in simplex & non simplex & simplex dicitur dum solus rei usus roganti permittitur, ita ut ipse non possideat, sed nudè tantùm detineat. Non simplex, dum præter usum simul ceditur possessio specialiter rogata, ut sibi quoque possidere liceat. *Lauterb. ad ff. h. t. §. 5. juncto §. 12. & de hoc precario non simplice dicitur, quòd differat à commodato.*

**2.** Resp. ad secundum: cum ei, cui concessa etiam hæc possessio, competant omnia, quæ jure competunt naturali possessori, ut suntur ex *L. §. habet. §. 4. ff. h. t.* Precarium ita possidenti datur interdictum retinendæ, *uti possidetis*, non quidem contra dominum, sed contra tertium turbantem. *Pirh. h. t. n. 3. Lauterb. l. c. citatis l. 1. §. fin. §. l. 2. ff. uti possidetis. §. l. 17. ff. h. t.* quin & conceditur interdictum recuperandæ *unde vi*, si vi possessione dejicitur. *Pirh. Wiestn. LL. cit. citantes Menoch. remed. recup. 15. n. 56.* idque etiam contra concedentem, si is eum vi dejiciat, ut *Lauterb. l. c. citans §. 6. Inst. de interd. & Menoch. remed. recup. 1. an. 81.* Qui tamen civiliter non possidet, nullo tempore contra concedentem præscribere potest. *l. 17. ff. comm. prad. Lauterb. l. c. nec utucapitur, cum quò ad utucapionem vitiosè possidet, qui precario possidet. l. 10. ff. si servus vend. l. 2. C. de præscript. 30. v. 40. annor. Lauterb. §. 12. in fine.* monet nihilominus *Muller. l. c. ib. 156. lit. a.* dominum rei precariò concessæ, ut sibi careat, impediatque, ne is, qui precariò rem habet, detrectando restitutionem, ex naturali possessione vel etiam detentatione querat sibi civilem; eò quòd ubi a tempore denegata restitutionis taceat, & interdictum non intenet, præscriptionem civilem amittat per præscriptionem decennalem. citat pro hoc *Menoch. & Brun.*

*Quest. 203. An & qualiter precarium transeat ad heredem vel successorem concedentis vel recipientis?*

**1.** Resp. ad primum: Concessio precarii transit ad heredem, etiam incognitum, aliumve successorem, dum hic censetur continuare concessionem, quamdiu eam non revocavit, ita ut sic illius patientià reviviscat. *Lauterb. h. t. §. 9. citans Molin. & l. 8. §. 1. §. l. 12. §. 1. ff. h. t.* Nisi forte Dominus concesserit expressè cum clausula: ad beneplacitum meum, vel dum non revocavero; tunc enim post mortem concedentis, non debere continuare, absque eo, quòd opus sit revocatione hæredis, ait *Lauterb. l. c. citatis de Lugo de 7. §. 7. d. 23. f. 2. n. 17. Covar. var. l. 3. c. 17.* qui tamen etiam mox à morte concedentis, uti & tutor ipsius, ubi is incideret in furorem revocare potest. *Muller, ad Struv. h. t. lit. e.* Talis enim clausula exigit tractum voluntatis continuo durantis, qualiter non durat, dum per mortem vel furorem illius abruptitur. *Mull. lit. 7.*

**2.** Resp. ad secundum: precarium concessum non transit ad heredem accipientis. *Lauterb. l. c. juxta cit. l. 12.* eò quòd hæres rogantis non succedat in possessionem roganti tanquam amico con-

concessam. Idem videtur esse de detentatione, dum precarium concessum circa possessionem; secus tamen est, ubi concessio facta pro Titio & heredibus ejus.

*Quaest. 204. Quenam sint cause precarii?*

**R** Esp. primò: quod spectat causam efficientem, ejus causa remota est partim jus gentium, ex quo descendit seu originatur. *l. 1. §. 7. b. r. Muller. l. c. Lauterb. §. 6.* Partim jus civile pratorium, ratione scilicet approbationis & modi habendi, exequendive precarium, ut iidem. Causa efficiens proxima est ipse concedens (quales esse possunt omnes, qui commodatum concedere possunt; cum qui usum rei ad tempus certum & modum concedere possunt, multo magis usum indeterminatum permittere valent; adeoque non solum domini, sed etiam, qui rem possident, aliudve jus in re habent. *l. 8. ff. b. r. Lauterbach. §. 8.*) ejusque voluntas seu consensus, etiam per alium ejus nomine. V. g. per procuratorem praestitus, etiam rati habitione, ut Lauterb. *§. 6. cit. l. 8. §. 2. ff. b. r.* non solum verbis & scripto, sed & aliis signis ad hoc idoneis expressus ad preces alterius. *l. 13. §. 1. ff. b. r.* Licet autem difficulter intelligi possit, qualiter ab initio precarium efficiatur seu constituitur. Tacite, postquam tamen semel concessum expressè, potest dein consensu tacito, qui ex concedentis patientia seu non revocatione, & continuato ab accipiente usu praesumitur prolongari & revocari, quae prolongatio magis & prorogatio, quam novi precarii constitutio. *l. 4. §. fin. ff. b. r. junctâ l. 5. eod. Lauterbach. cit. §. 6.* qui tamen id ipsum sic limitat: modò prorogans sit in eo statu, ut consentire vel pro libitu revocare possit. In quali statu, quia non est, qui post concessionem incidit in furorem, non secus ac mortuus, non poterit precarium prorogare; cum per patientiam tacite consentire non possit, nisi qui expressè consentire potest. Ad causam quoque efficientem precarii spectat consensus recipientis, ex quibus duobus consensibus efficitur usus rei licitus, & constituitur in ratione beneficii, quod in non consentientem non cadit.

2. Resp. secundò: ad causam precarii materialem seu potius objectum spectant res omnes, de quibus *quaest. 1. b. r.* Pro causa formali seu forma substantiali esse dici potest, quòd concedatur gratuitò ad preces indeterminatè & revocabiliter. Causa finalis seu finis principalis precarii est usus rei licitus.

*Quaest. 205. Quisnam sit effectus precarii?*

**R** Esp. Effectus respectu concedentis precarium unà cum possessione naturali est ejusdem possessionis amissio, sive quòd concedens desinat possidere rem corporaliter, tam per se, quam per eum, cui res precario concessa, & pergat eam solummodo possidere civiliter juxta *quaest. ante hanc*

3. Respectu recipientis effectus alius est lucrativus consistens in potestate re utendi eique insistenti, et si concessa quoque possessio illius, in ipsa vera hac possessione, ratione ejus competunt ei remedia possessoria. Alius est effectus onerosus consistens in obligatione, quà recipiens astringitur, non quidem civiliter, sed naturaliter, ex naturali nimirum.

*R. P. Laur. Jur. Can. Lib. III.*

rum aequitate & jure gentium, ad precarium restituendum concedenti pro ejusdem libitu.

*Quaest. 206. An haec obligatio pariat interdictum Pratorium de precario, aut etiam actionem?*

**R** Esp. primò. Cum jure civili haec obligatio nullam pareret actionem, quà concedens ageret contra accipientem tergiversantem rem precario concessam restituere ad sui revocationem, jure Pratorio introductum est, seu Prator, partim ex necessitate, dum nulla ante illud ex precario competeat actio, partim ex aequitate, quà aequum erat precario concedentem ex sua liberalitate non pati damnum; adeoque recipientem rem precario obtentam ad repetitionem concedentis restituere, juxta quòd dicitur *l. 2. §. 2. b. r. natura aequum est, tamdiu de liberalitate mea uti, quamdiu ego velim, & ut possim revocare, cum mutavero voluntatem:* concessit interdictum, quòd sicut aliae actiones nomen à contractu, ex quo oriuntur, sortiuntur, ut actio commodati, locati &c. Ita à precario dictum interdictum precarii, vel etiam restitutorium, utpote quò Prator rem precario concessam, sed revocantem, restitui jubet. Competit hoc interdictum illi, qui usum rei purum sine possessione (in quo casu est interdictum retinendae possessionis. Muller. ad Struv. *b. r. lit. 6.*) vel unà cum possessione concessit, sed revocavit. Et sic in specie competit venditori, qui rem venditam emptori concessit precario, donec pretium solutum, si per nunc stetit, quòd solutio facta non sit. *l. 20. ff. h. r. Muller. l. c. lit. v.* item creditori qui rem oppignoratam concessit debitori. *l. 22. ff. b. r. Muller. l. c.* & si servus concessit, dandum domino. *l. 19. ff. eod. Muller. l. c. lit. v.* Et quia persecutionem rei continet competit quoque successorì concedentis tam universalì quam singulari (ita ut v. g. emptor rem precario à venditore concessam revocare statim possit ab eo, cui concessa, eique ad restituendum moroso intentare hoc interdictum Muller. *loc. cit.*, & ita quidem, ut hic habeat hoc interdictum non ex precario concessio ab authore seu antecessore suo, sed ex propria persona, dum eo ipso, quòd patitur possessorem seu precariam ulterius re uti, prorogando precarium, quasi novum constituere videatur juxta *l. 8. ff. b. r. Lauterbach. b. r. §. 16.*) contra possessorem rei precario concessae, licet is precario possideat rem propriam, nempe datam in pignus creditori. *l. 6. §. ult. b. r. Muller. b. r. tit. 159. lit. 2.* Item etiam si possessòr non rogaverit illud, modò tamen is sciat suo nomine rogatum, haberitque id ratum. Muller. *l. c. l. 4. §. 2. ff. b. r.* vel contra eum, qui dolo habere desit. *cit. l. 8. §. 3.* Pupillum etiam, qui sine auctoritate tutoris rogavit, si is possideat. *l. fin. §. 1. ff. b. r. Duaren. in ff. b. r. c. 4. Muller. l. c.* Item contra heredem (qui tamen restituere non tenetur ex persona propria, sed ex persona defuncti, cum is in precario, utpote ejus possessio non concessa heredi recipientis, & quòd morte concedentis extinguitur, non succedat defuncto) si haeres rem precariam habet *l. 2. C. b. r.* vel dolo fecerit, quò minus rem precariam haberet; in quo casu haeres tenentur in solidum, dum aliàs, si ex dolo defuncti factum detur contra illos tantum in id, quòd ad eos pervenit. Muller. *l. c. lit. 3.* Lauterb. *l. c. citatâ leg. 8. §. 7.* & ibi Brunnem. *num. 7.* Objectum hujus interdicti est res precaria restituenda & omne damnum resarciendum. Ita

P

tamen

tamen, ut recipiens ad hoc teneatur tantum ex dolo & culpa lata juxta dicta. nisi aliter conventum, ut Perez. in Cod. h. t. n. 6. Vel nisi mora recipientis intervenit, morando nimirum & etiam arguendo sibi possessionem non concessam Muller. l. c. lit. 7. Tunc enim ex tempore editi interdicti ad omnem casum fortuitum & omnem causam fructus scilicet & accessiones eum obligari. cit. l. 8. §. 6. & l. 10. ff. h. t. ait Lauterb. §. 17. Et sic v. g. inhabitantem precario domum citra voluntatem domini teneri refarcire damnum ex incendio culpa familiae suae orto illatum, cum communi ait Muller. l. c. Hac autem mora non interveniente, eum non condemnandum nisi tantum in id, quantum interfuit actoris, ei rem restitui ex dicto tempore. Lauterbach. ibid. juxta cit. l. 8. §. 4. Item ex hoc interdicto, nempe post illud editum, fructus restituendi. Zoëf. h. t. num. 6. Muller. ib. 150. lit. a. & totum interesse, seu quanti interfuit concedentis rem ei restitui, quod tamen interesse non tantum in genere allegandum, sed specificè enarrandum, & ubi negatur, probandum. Muller. l. c. lit. 6. Finis & effectus hujus interdicti est restitutio precarii revocati, instituique potest mox à revocatione; & uti hæc fieri potest illico à traditione rei juxta dicta supra adjunctamque ibidem limitationem, de qua vide Lauterb. §. 18. ita etiam interdicti institutio. Porro cessat hoc interdictum, si precario concedens utramque possessionem, & naturalem & civilem transtulerit; id quod potest facere. Cum enim in hoc casu dominus nullam possit probare possessionem, etiam Prætor ad concedendum edictum permoveri nequit. Muller. ib. 150. lit. d. quem vide. Uti etiam concedenti alleganti precarium, ut interdictum hoc obtineat, incumbit onus illud probandi. Sic si rustici asserant, se operas suas aliquamdiu precario præstitisse; dominus verò dicat, se illas jure suo exegisse, rustici affirmativam suam probare tenentur juxta l. 2. ff. de prob. l. fin. ff. de R. V. Donell. ad l. 22. C. de prob. Muller. loc. cit. Quin etiam, ut Idem, tenentur præcisè probare, Dominum in exigendis servitiis preces semper adhibuisse, præsumendum enim non esse, rusticos tam civiles fuisse, ut aliqua servitia, præsertim per aliquot annos, decem vel plures, ad quæ præstanda se jure obligatos non esse sciebant, gratis & precario & jure humanitatis præstent. Secus est, si rustici, nulla facta mentione precarii, simpliciter negent, se operas debere. Tunc enim domino servitorum sibi debitorum probatio injungi debet.

2. Resp. secundò: Concedi nihilominus etiam Romanis Jurisconsultis concedenti precarium conditionem incerti, seu actionem præscriptis verbis, sumitur ex l. 2. §. 2. b. t. & l. 19. §. 2. eod. quæ concedens revocans precarium, rem precariam sibi ex æquo & bono restitui petat. Estque ea non ordinaria, quæ ex contractibus innominatis oritur, sed extraordinaria, irregularis & anomala, quæ & variis aliis pactis, per se actionem non producentibus ex æquitate accommodatur, ut ait Lauterb. ad ff. h. t. §. 13. qualiter hæc actio oriatur ex precario, dictum est supra quest. 1. h. t. Occasione cujus actionis notandum cum Reiffenstuel. h. t. num. 22. Spectato præsertim Jure Canonico, necesse non esse in libello exprimi nomen actionis, sed sufficere, factum ipsum rei que veritatem clarè exponere, simulque causam petendi ipsamque conclusionem aptè proponere, juxta c. dilecti. de Judic.

Quest. 207. An & qualiter precarium exspirat morte accipientis vel etiam concedentis ejusve revocatione?

1. Resp. ad primum: Finitur morte illius, cui concessum. c. fin. h. t. l. 12. §. 1. ff. h. t. Est enim beneficium personale, ac proinde cum persona beneficiarii extinguitur juxta reg. 7. jur. in 6. & ad heredem illius non transit. Abb. in cit. c. fin. n. 5. cum communi juxta quest. ante hanc. 3. nisi fortè concessio facta non simpliciter personæ, sed dignitati; tunc enim transit in successorem in dignitate.

2. Resp. ad secundum: non finitur morte illius, qui concessit, sed transit ad heredem illius ejus concessio. cit. c. fin. & c. quæsi. §. quod à Titio h. t. ubi dicitur: quod à Titio quis rogavit, id etiam ab heredibus ejus precario habere videtur; & à cæteris ejus successoribus, etiam si quis ignoraverit heredem. Est enim precarium species quædam gratiæ & quasi privilegii, quæ manent, donec à concedente revocentur. l. 1. ff. h. t. per mortem autem concedentis non censetur gratia revocata. c. si super. de off. deleg. in 6. ubi, quod gratia alicui à Sede Apostolica facta (et si nondum in ejus executione processum) morte non perimatur concedentis. Quia ad expirationem seu revocationem gratiæ seu facultatis concessæ requiritur actus positivus seu contraria voluntas, quæ si à concedente illam, V. g. precarium, dum viveret, habita non fuit, perseverat precarium aliæ gratiæ, donec à defuncti hæredibus vel successoribus revocetur. Covar. l. 3. var. c. 15. n. 1. & 3. Molin. tr. 2. de just. d. 298. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 17. Pirh. h. t. n. 8. Wiestn. n. 9. ubi etiam, quod res incipiat haberi precario à defuncti hæredibus, si ii non revocent, seu ut Reiffenst. hæres non revocando censetur illud rursus concedere. L. in rebus. §. fin. ff. h. t. Limitatur tamen responsio primò: nisi cum concedente cætera quoque ejus acta expirent. Lauterb. l. c. §. 19. Secundò, nisi gratia vel res aliqua precario concessa ad beneplacitum concedentis, seu quamdiu ipse voluerit, signanter eo id ipsum exprimente, ita ut gratia seu concessio à positiva perdurante (intellige habitualiter) hac ejus voluntate dependeat. Tunc enim morte ipsa sine alia ejus revocatione cessat juxta c. gratiose. de rescrip. in 6. eò quod ex verbis hujusmodi colligatur gratiam seu rem non absolute concedi, sed limitate, nimirum quamdiu perseveraverit concedentis voluntas, talis autem voluntas morte superveniente non est amplius. Abb. in cit. c. ult. n. 6. Covar. l. c. n. 2. & 4. Molin. l. c. n. 1. Laym. in cit. c. gratiose. n. 2. Pirh. l. c. cum communi.

3. Resp. ad tertium: Finitur illud quoque revocatione concedentis, etiam ante diem precario præfixum, modo revocatio nimis accelerata non sit damnosa recipienti, sæpe dictum in antecedentibus, diciturque passim in ff. h. t.

Quest. 208. Quibus modis aliis finiatur precarium?

Resp. Finitur quoque consolidatione, ut dum quis rem precario concessam acquirit pleno jure. Arg. l. 4. §. 3. ff. h. t. Lauterb. §. 19. Finitur item concessio precaria pignoris soluto creditori debito, ob quod res oppignorata. L. si debitor. ff. h. t. Dum autem dicitur alienatione rei precario concessæ facta in alium. V. g. donatione, venditione, finiri precarium, id ita intelligendum, quod

ania-

finiatur, si donatarius vel emptor eam revocet, uti potest *c. fin. h. t.* invito enim novo domino res illa amplius possideri nequit etiam naturaliter tantum ab eo, cui precario concessa fuerat, aut etiam is eam amplius sine possessione detinere potest. Ubi autem novus dominus eam non revocet, tunc ab eo res precario haberi censetur, intellige, etiam absque nova positiva ejus concessione. *cit. c. fin. L. questum. §. 2. ff. h. t.* Molin. *cit. d. 298. n. 19.* Haunold. *Tom. 4. de 7. §. 7. tr. 10. n. 772.* Pirh. *h. t. n. 9.* Wiestn. *n. 11.* Sed quid, si dicatur, quod emptor ante actuale traditionem rei sibi factam à venditore, adeoque nondum apprehensione naturali illius ( quippe quæ non erat apud venditorem, sed apud illum, cui res à venditore precario concessa ) non erat dominus rei juxta *L. traditionibus. C. de part. s.* adeoque ei etiam invito, is, cui res concessa, precario eam retinere poterat, sed neque emptor possessionem naturalem, aut etiam puram detentionem habitam ab alio revocare potest. Ad hoc minus bene responderi ab Abb. *in c. ult. h. t. n. 8. §. 9.* censet Pirh. *l. c.* dicendo, posse dominium unâ cum possessione transferri à venditore in emptorem sine reali traditione per viam constituti juxta *L. quadam. ff. de rei vind.* nimirum ubi is constitueret & declararet, se deinceps velle possidere nomine emptoris, sive simpliciter, sive ut custos & commodatarius, vel etiam precario. Eò quod id quidem verum sit, ubi venditor rem possideret & naturaliter & civiliter, sed ubi solum civiliter possideret, intelligi nequeat, qualiter, dum rei possessio naturalis vel etiam detentio non est apud ipsum, sed apud alium, possit se constituere nomine emptoris velle possidere naturaliter. Aptius verò responderi censet, dicendo, hunc esse casum specialem, in quo dominium transferri possit, possessione non existente penes alienantem, sed penes alium. V. g. cui res precario concessa; ita tamen, ut & tunc intervenire debeat aliqua traditio, dum nimirum is constituit & declarat, se rem illam habere ab emptore precario tanquam à domino, & hac ratione fore veluti novam quandam precarii concessionem. Ex qua tamen responsione id sequi videtur, quod sicut, si talis constitutio fieret infcio, aut non ratificante, sed renitente, emptore, ea non sufficeret, ut intervenisse censetur traditio quadam, ita nec fieret ab eo precarii nova concessio. Adeoque ut ea ab illo fieri possit, opus tunc esse reali traditione, ademptâ à venditore ei, cui precario ab illo concessa, possessione reali aut detentione rei. De cætero secus est in successore universali seu hærede, in quo continuatur, seu non interrumpitur precarium, sed censetur ab eodem haberi licet recipiens ignoret eum hæredem esse; eò quod hæres censetur eadem cum defuncto persona, dominiumque rerum omnium bonorum ac jurium defuncti ab eo acquiri per solam aditionem hæreditatis citra eorum apprehensionem & naturalem possessionem juxta *L. cum hæredes. ff. de acquir. possess.* Pirh. *l. c.*

*Quest. 209. Quid sint precariæ seu precaria, & in quo differant à precario?*

**R** Esp. Precaria ( quarum usum aliàs ferme de jure civili incognitum, quamvis Barb. *in collect. ad h. t. n. 7.* cum quo ad substantiam hoc jure cognitum fuisse dicat Arg. *L. jubemus. §. sanè. de SS. Eccles.* hodie tamen in Germania non incognitum, cum & hodie ibidem confici soleant libri preciariorum, maximè ab œconomis monasterii. *P. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.*

riorum, testatur Muller. *h. t. ib. 150. lit. d. in fine.* citatis aliis. Fuisse etiam frequentem olim, in Gallicana præsertim Ecclesia, ostendit Wiestn. *h. t. n. 1.* sunt contractus Jure Canonico inductus (& non à Prælatibus ecclesiarum excogitatus in fraudem SS. Canonum prohibentium rerum Ecclesiæ alienationem ut perperam Calvinus in *suo lexico. v. precaria.* Sed in utilitatem Ecclesiæ, ut patebit ex mox dicendis) quò roganti alicui jus utendi fruendi aliqua ecclesiastica immobili sine certa pensione aliove onere in perpetuum vel ad vitam recipientis vel concedentis, aut aliud longum tempus, vel ad quinquennium (qualiter eas regulariter concedi, ne ex loginquitate Ecclesiæ oriatur præjudicium, ait Muller. *l. c. circa finem*) conceditur ea lege, ut singulis quinquenniis renovetur, & elapso concessionis tempore cum omnibus suis incrementis ad ecclesiam revertatur, & ante illud tempus revocari nequeat. ita ferè ex communi magisque recepto sensu AA. desumpto ex *c. 1. h. t. §. 5. caus. 10. q. 2.* describitur precaria:

2. Dicitur primò: *est contractus*: sumendo nimirum in hac descriptione precarias pro ipso actu, quo conceduntur; quamvis etiam sumi possunt pro ipso jure, quod conceditur, & tunc dici cum Lauterb. *ad ff. h. t. §. 2.* quòd sint jus utendi fruendi concessum &c. Dicitur contractum nominatum; cum habeat nomen distinctum ab aliis contractibus, & sic dari ex eo debeat actio præpter rationem specialem & certam formam à lege canonica illi datam, ait Barb. *l. c.* Dicitur secundò: *roganti*: non enim minus pro earum forma requiritur interventus precum, quàm in precario; cum vel ipsum nomen non secus ac illud sortiantur à precibus, aut etiam, ut Wiestn. *h. t. n. 13.* à Charta Ecclesiæ porrecta, quæ precaria vel precatoria dicebatur, & rerum ecclesiasticarum precariæ concessionis postulationem continebat. Dicitur tertio: *jus utendi fruendi*, ut Reiffent. *h. t. n. 10.* Lauterb. Muller. *LL. cit.* & alii. adeoque plus continet quàm precarium, quo solus usus conceditur. Dicitur quarto: *re immobili*: puta prædio, fundi &c. in quo quoque differt à precario, quod etiam se extendit ad res mobiles, ut Reiffent. *l. c.* Wiestn. *h. t. n. 16.* Pirh. *cit. n. 10.* Unde dum hic immediate ante dicit, precarium esse contractum, in quo res mobilis conceditur, videtur esse error librariorum. Dicitur quinto: *ecclesiasticæ*, quia constituitur ab Ecclesia super bonis ecclesiæ donatis, aut aliter ab ea comparatis & possessis. Et sic solum ab Ecclesia in rebus ecclesiasticis celebrari, ait Barb. *l. c. n. 7.* Dicitur sexto: *sub certa pensione vel onere, vel sine eo*; cum concedatur quandoque remunerationis gratiâ, quæ videatur tale onus excludere. Et in hoc iterum differt à precario, quòd gratis & sine onere concedi debet; cum, ut dictum, sit actus liberalitatis mera. Wiestn. *num. 16.* & alii. Dicitur septimò: *conceditur vel in perpetuum*; ut Pirh. Lauterb. Mull. *LL. cit.* Molin. *tr. 2. de 7. §. 7. d. 298. n. 20.* Qui tradit, precarias posse esse perpetuas, & olim fuisse tales, arguitur ex decreto Joannis IX. quo teste Baronio ad annum Christi 904. statuit, ne saltem impofterum essent tales. Uti etiam à Gregorio VII. & demum ab Urbano II. teste Gonz. *in c. 1. h. t. n. 10.* apud Wiestn. *n. 15.* statutum, ut renovarentur singulis quinquenniis, ne præsumerentur perpetuæ. Dicitur octavo: *vel ad tempus vita recipientis*; circa quod notat Wiestn. *n. 14.* ex Gonz. *l. c. n. 9.* quòd si is, qui donavit res suas ecclesiæ, earum usum fructum peteret, per precariam ad vitam illius concedi solere, dum aliàs precariæ rerum ab Ecclesia

Ecclesia aliunde comparatarum non nisi ad quinquennium aut aliud tempus determinatum concedi soleant. In quibus iterum differunt à precario, quod regulariter non nisi pro indeterminato tempore, & quidem semper revocabiliter conceditur. Dicitur nonò: *hac lege, ut singulis quinquenniis interpositis iterum precibus renovetur*: intellige, si facta ad tempus quinquennio longius juxta *c. 1. h. t. & c. 5. caus. 10. q. 2.* Idque licet non præscribatur unquam res per precarium concessa. Reiff. *h. t. n. 21.* ad concessionis & domini penes Ecclesiam remanentis memoriam conservandam, & ne res aliàs, hæc memoria deficiente penitus ab ecclesia alienata censeatur juxta *c. loquiquitate. 12. q. 2.* Abb. *inc. 1. h. t. n. 3.* Barb. *h. t. n. 8.* Gonz. *l. c. n. 4.* Pirh. *h. t. num. 13.* Wiestn. *n. 17.* Et nisi quinquennalem hanc renovationem petat is, cui precaria concessa, jure suo cadit, non secus ac Vasallus feudum accipit, si à novo domino non petat investituram juxta *feud. l. 2. c. 1. §. 1.* Abb. *l. c. n. 5.* Barb. *l. c. n. 10.* Pirh. *l. c. contra Gl. in idem c. 1. v. quinquennio.* ubi, quòd precariæ etiam elapso quinquennio renoventur, si dominus patiat eum, cui concessa precaria, permanere in possessione. Verùm contra hoc est, quòd dum ultra patientiam requiritur aliquid, ut in proposito, non sufficit patientia, eaque nihil operatur. Barb. *ad c. 1. h. t. n. 6.* Pirh. *cit. num. 13.* esseque in hoc differentiam à precario patet; cùm hoc citra necessitatem petendi renovationem sui perseveret. Dicitur denique, quòd precaria ante præfixum ei tempus revocari nequeat, intellige, à successore (cujus contrarium est in precario) nisi tamen concessio precariæ factæ irrationabiliter & indebitè in damnum ecclesiæ; tunc enim à successore revocari potest. Uti etiam tunc revocare potest & debet precariam ipse Prælatus, qui eam irrationabiliter concessit, pro ut statuitur. *c. de precariis. h. t.* Barb. *ibid. n. 1.* Idque, ut dicitur ibidem, etiam si pœna adjecta esset tali contractui, seu statuta non servanti illum, seu revocanti precariam; eam ad eam non obligetur. Siquidem, dum contractus est invalidus & rescindendus, quia est in ius contra jus, seu jure illi resistente, qualis est dicta concessio facta in damnum Ecclesiæ, pœna ei adjecta non valet, sed corrui, corruique principali, nempe contractui, cui est accessoria, & cuius naturam sequitur juxta *Reg. jur. 42. in 6. & Gl. in cit. c. de precariis. v. pœna.* de quo vide Barbof. *in cit. c. n. 4. & 5.*

*Quest. 210. In quo precaria differat ab emphyteusi?*

**R** Esp. Ab emphyteuti, cui aliàs valde similis est, & affinis differt in sequentibus. Primò, quòd emphyteusis non requirit essentialiter preces, seu constituatur ad rogatum emphyteuta. Secundo, quòd emphyteusis non constituatur gratis, sed essentialiter non nisi sub pensione aliqua vel onere. *l. 1. C. de jur. emphyt.* Barb. *l. c. n. 9.* ubi etiam, quòd precaria pensionem non patiat; quia solus usus fructus in remunerationem ad preces conceditur; & quod *gl. 1. & 2. in c. sape. 12. qu. 2.* & Valasc. falso existiment, in precaria pensionem annatim esse solvendam sicut in emphyteusi. Quòd si tamen etiam quandoque in precaria veniat pensio aliqua quot annis solvenda, ut alii; in hoc tamen adhuc differt ab emphyteusi, quòd id precariæ quàm tali seu in genere spectata sit veluti per accidens; cùm ea etiam gratis constitui possit. V. g. laico vel clerico benemerito, vel pauperi aut peregrino, concedendo ei liberaliter possessionem aliquam seu fundum

utendum fruendum. *c. clerici. 16. q. 3.* quæ tunc est donatio quædam usus fructus, à quo non differt, nisi quòd certo tempore egeat renovatione. Pirh. *cu. n. 13.* Tertio & potissimum differt ab emphyteusi, quòd hæc non exigat renovari singulis quinquenniis, etsi ad longum tempus constituta.

*Quest. 211. An ad concessionem precariarum requirantur solennitates juris?*

**R** Esp. Affirmativè; dum enim per eas jus utendi fruendique in beneficiarium ad longum & quandoque ad totius vitæ tempus, & quidem irrevocabiliter concedatur seu transferatur, sunt species quædam alienationis rerum Ecclesiæ. Laym. *de reb. eccl. non alien. thes. 91.* Pirh. *h. t. num. 15. in fine.* Wiestn. *n. 20.* Reiffent. *n. 15.* Adeoque sicut ceteræ alienationes rerum ecclesiæ, & in specie etiam locatio ultra triennium, sine solennitatibus juris fieri prohibentur, sic etiam precariæ, si concedantur ultra triennium, uti communiter concedi solent. Zoëf. *h. t. n. 1.* Engels. *n. 4.* & AA. citati cum communi. Ita etiam, ut sine iis vel absque legitima causa, adeoque irrationabiliter à Prælatis factæ ab eorum successoribus jubeantur revocari. *c. precaria. h. t.* E contra sicut ad locationem, si non fiat ultra triennium, non requiruntur solennitates juris juxta *Extrav. ambitiose.* ita nec ad concessionem precariorum, si non fierent ultra triennium, non requiritur consensus superioris aliæque solennitates, modò interveniat rationabilis causa. Barb. *ad c. 2. h. t. n. 4.* Qui tamen etiam asserit ibi, dum precaria conceditur ad longum tempus, non requiri solennitates, sed à solo Prælato posse fieri, eò quòd per illam non transferatur dominium, ne quidem utile, sed solum commoditas & usus fructus juxta *l. 2. §. ult. C. de SS. Eccles.* citatque pro hac sententia Bartolum, ut ait, communiter receptum in *L. codicillis. §. instituto ff. de legat. n. 4.* Bero. *in c. nulli. de reb. eccl. non alien. n. 32.* Molin. *de primogen. l. 1. c. 21. à n. 24.* Valasc. *de jur. emphyt. q. 18. in princ. & n. 9.* Sed neque requiruntur consensus Capituli vel superioris aliæque solennitates in renovatione quinquennali precariorum, sed sufficit Prælati autoritas; eò quòd hæc renovatio non sit nova concessio, & insuper reddat conditionem ecclesiæ meliorem, dum introducta ad conservandum ejusdem dominium. Imol. *in c. 1. h. t.* Barbof. *l. c. num. 10.* Laym. *l. c.* Pirh. *n. 14.* Wiestn. *n. 19.* qui hoc ipsum confirmat paritate feudi, dum licet Prælatus res Ecclesiæ infeudare sine solennitatibus prohibeatur, non tamen prohibeatur feudum antiquum renovare sine solennitatibus in prima infeudatione requisitis; cùm neque jura, neque juramentum de non alienando tali renovationi feudi obstant, sicut obstant primæ infeudationi.

*Quest. 212. Quando & qualiter expirat precaria?*

**R** Esp. Expirat ea per mortem illius, cui concessa, si ei ad vitam illius concessa; secus, si etiam concessa pro hæredibus illius. Item per mortem concedentis, si ad vitam illius concessa, secus, si absolute concessa. Item si pro tempore definito concessa, expirat eo elapso. Intra tamen illud revocari nequit juxta dicta. Ac denique, dum ad longum tempus concessa, expirat statim post primum quinquennium, si eo elapso non fuerit renovata secundum dicta.